

STATUTA SIGISMUN
DI RYPOLONIA



G S



1551



CIMELIA

8345-51

R7

CONSTITV-
tiones Cōuentus Craco-
uiē: de Anno domini:
millesimo quingente-
simo Trigesimo
secundo,

8. 11. 409

COPIED FROM
THE ORIGINAL
OF THE
ORIGINAL
OF THE
ORIGINAL

8347

Sigismundus Dei gratia Rex Polonię, Magnus dux
Lithuanie, Ruffie, Pruffiæ, Masouia &c. dñs & hæres.

Manifestū facimus per presentes. Quod nos ad postulationē Nunci-
orum omniū terrarum regni nostri, cum vniuerso senatu, in presenti con-
uentu congregato, Constitutiones infra scriptas decreuimus. In quibus par-
tim ea quæ fuerant ambigua, interpretati sumus, partim vero quæ deside-
rabantur adiecit. Deniq; illas in scripto sub sigillo nostro ædi & publi-
cari fecimus, & vt pateant omnibus, & celerem administrandę cuiuslibet ius-
titiæ præbeant occasionem atq; facultatem.

ET si iam antea publicis exigentibus rationibus, & cōmuni omnium sua-
dente commoditate, decreueramus in pluribus Regni nostri generalibus
conuentibus, vt omnia Regia Iura, & dudum obseruata quęuis statuta à
certis designatis Iurisperitis, tam spiritualibus, q̄ secularibus personis recē-
serentur, vtq; in illis contrarietas omnis & noxia dubitādi occasio tolleretur.
Quia tamen multis interuenientibus impedimentis, quæ ex pluralitate des-
ignatarum personarū, sero hinc inde conuenientiū, & plerumq; inuicem
dissentientium, contingebant. Hęc res vtcunq; in aliqua parte inchoata,
hucusq; ad exitum perducī non potuit. Nos vt necessitati cōmuni, & simul
in perficiendo maturius opere, dignitati nostrę cōsulamus. Primā Iurispe-
ritorum designationem ad pauciorē numerū redigentes, cōmuni om-
nium Consiliatorum nostrorum consilio decreuimus & decernimus præ-
sentibus, vt sex tantūmodo ex vtroq; statu, viri inferius descripti sint ad eā
ipsam expansionē & correctionem iurium designati, qui huc Cracouiam
ad diem primam Maij proxime venturi conuenientes, Statutorum Iudic-
ialium obscuritatē, priuilegijs & alijs statutis ad iudicia nō pertinentibus
intactis relictis illustrent, ambiguitatem tollāt, & omnia quę illis ad æqua-
litate in iudicijs seruandam necessaria videbuntur, in cōsonantiā re-
ducant, reiectis & abrogatis singulis clausularum nodis, ex quibus in poste-
rū dubitatio, quę hucusq; iudices reddebat pplexos, suboriri posset. Quod
cum ab illis erit factum, amplius decernimus, vt forma statutorū, & iuris
iudiciarij per dictos sex viros emendati, in plura exēplaria redacta, ad Cō-
uentus particulares deferatur, illicq; in præsentia dignitatorū officialium
& reliquorum Nobilium personarū, non tumultuarie, sed cum attentione
omniū prelegatur, subindeq; Nunciū e medio Nobilium, sic vt dictum est,
congregatorum, eligantur, qui forma statutorum & iuris emendati ad ge-
neralem proxime tunc futurum Conuentum relata, vel assentiri omnium
nomine dictę emēdationi, vel illā pro necessitate rationabilius instituere,
cum nostro totiusq; senatus cōsilio & auctoritate possint, vt tandem pro
incertis certę, & pro incommodis commodę iudiciarię constitutiōes effi-
ciatur, & ne amplius per incertā interpretantium contentionem ab admi-

ministranda equa litigantibus iusticia iudices remorentur. Sunt autem p nos designati iurium & statutorum predictorum correctores, ex maiori Polonia Generosus Nicolaus Nyemoyeyski iudex Iuniuladistauieñ, & Generosus Mathias Krziffanowski iubiudex Polnaniëñ. Ex minori vero Polonia Generosus Ioannes Pyenyazek de Crussoua iudex Cracouieñ, & Generosus Bernhardus Macziowski iudex Sandomirieñ, referendarij nostri. Quibus adiunximus spirituales duos iurisperitos, videlicet Venerabiles Nicolaum Zamosczki scholasticū Lancicieñ, & Georgium Mischkouski Canonicum Cracouieñ Secretarios nostros.

Quoniam autem in regno nostro non solum scriptę constitutiones, sed & cõsuetudines inueteratę pro lege in pluribus locis obseruantur. Statuimus vt singuli Palatini consuetudines sui quisq; Palatinatus conscribant, & huc Cracouiam ad primã Maij mensis diem ad nos mittant. Illas enim sicuti & reliqua iura correctorū iudicio cõmitteremus, vt eque in hjs vt in reliquis statutis equanimitas & vniformis iudiciorū modus, contrarijs & obscuris, ambiguisq; interpretationibus reiectis, statuatur.

Crebro iam experti Cõstitutionem seu Decretum quod Ostrogi nomine inscribitur subditorum nostrorū rationes grauare, ne deinceps querelis & offensionibus mutuis aliqua subsit occasio, & vt pereque diuiti ac pauperi iusticia ministraretur. Statuimus vt si quispiam aliquē dominorum vel Nobiliū subditorum nostrorū citauerit, q; scitu mādato & volūtate sua quidpiam per seruos & ministros eius ad iniuriã sibi factum fuerit. Dominus seu Nobilis iusticiam cum eiusmodi seruis suis ministrare tenebitur, cum apud eum fuerint arestati per ministerialē & Nobiles. In defectu vero iusticie, is ipse Nobilis seu dominus citatus, pro hjs duntaxat respondere & se purgare debet que attinent violentam domus & persone inuasionem, vel nobilis alicuius necem seu vulnerationē, iuxta tenorem statuti per Regem Albertum super hac re cõditi. De alijs vero iniurijs vtputa de percussione aut vulneratione plebei alicuius, Itē de seminū vel frugum in agris & graminū in pratis cõturbatione, cõculcatione, depastione, & alijs id genus minoris momenti commissis, si alter alterum in hunc modum citauerit, q; scitu mandato & volūtate illius aliqua istiusmodi iniuria per vnū vel plures seruos nō possessionatos affectus fuerit. Statuimus vt q; iniuriã passus fuerit, iusticiam sibi ministrari a serui vel plurium seruorū domino postulare, dominus vero seruorū illam ministrare teneatur, si arestati serui apud dominum suū per nobiles & ministerialē terrestrem fuerint. Quod si vero inculpati de crimine vnus vel plures cuiuspiã domini serui fuerint possessionati, illos actor iniuriam passus & non dominum illorū de comisso crimine in iudicio & foro competēti conueniet.

Vt deinceps calumniantium iniquitas & periuriorū licentia refrenetur & cohibeatur. Statuendum duximus & statuimus presentibus, vt qui in iudicio literas parti eius aduersę de falsitate suspectas pducit, parte cōtendēte & postulante actis iudicialibus terrestribus illas comprobare teneatur, ad quę acta cum producent literas se retulerit, ac remitti postulauerit, dari illi debet dilatio ad primos terminos terrestres, actionē introductam immediate cōsequentes, in quibus si docuerit literas suas esse in actis, comprobare illas alijs modis probationum non teneatur. Cum autē producens literas actis terrestribus probare illas non suffecerit, in hoc casu nominare ibidem is ipse producens teneatur decem & octo testes nobiles possessionatos bonę integręq; fidei & famę viros, ex quibus per eum qui suspectas de falsitate asserit esse literas viri sex diligenter, qui simul cum ipso producente eiusmodi suspectas literas iureiurando illas nō esse falsas, sed legitime ex actis iudicialibus emanatas comprobare debebunt. Si vero producens literas actis illas veras & legitimas esse probauerit. Ille tū demū qui temere falsitatem literis obiecit, quattuordecim marcarum pecunię cōmunis pœna parti applicanda puniatur, & vltra hęc in tribus marcis pecuniarū iudicio ibidem statim soluendis condemnetur. Vbi vero acta & libri iudiciorum non extarent, siue incendio absumpti, seu vi ac iniuria hostili vel quocunq; alio fortuito casu deperditi, satis esse censemus, vt in eo casu literas de falso suspectas probet quisq; & purget secundum consuetudinem antiquam, hoc est suo & duorum testium nobilium possessionatorum bonę ac non inculpatę famę corporali iuramento. Ad obuiandum vero futuris falsitatibus. Volumus & decernimus, vt Notarij terrestres omnes literas iudicij terrestris manibus proprijs subscribant. Literas vero Castreñ. subscribant, vel soli Capitanei, vel eorum iudices Castrenses.

Plebeus Nobilem occidens, cui nullam causam vel occasionē se inuadendi nobilis pręstiterit, nec initium cōtentionis vel percussionis cum eo fecerit pœna capitis puniatur. Vulnerās vero plebæus nobilem, cui similiter occasionem se vulnerandi nobilis non prębuit, pœna capitis puniatur, hoc tamen intelligi debet de vulnere graui, ex quo sequitur mutilatio vel inualiditas alicuius mēbri nobilis vulnerati. Quod si nulla ex huiusmodi vulnere mutilatio vel inualiditas membri cōsequetur, pœna pecuniaria secundū antiquū statutū plebæus puniatur. At vbi nobilis causam & occasionem occisionis vel vulnerationis suę plebeo prębuerit, punietur plebeus secundum antiqua statuta, de vulnerato vel occiso nobili condita. Vt autem constare iudici possit, data necne fuerit plebeo causa vel occasio vulnerandi nobilem quilibet nobilis plebæum de vulnere aut nece accusans, probare teneatur suo & duorum sibi similium nobilium corporali iuramento id quod asserit verū esse, expresse hoc verbis nuncupans, q̄ non ex initio à se facto

neq; causa occasione per se data plebeus illum vulnere seu nece affecerit, alioquin nobilis in huiusmodi probatione deficiens non poterit plebeū in pœnam superius expressam conijcere, Nihilominus tamen plebeus vulnens quomocūq; aut occidēs nobilem, pœna in antiquis statutis p̄scripta punietur, Hoc aut̄ statutū, cū sit pœnale, ad tres dumtaxat annos valere & obseruari debere decernimus.

In petitiōe facta de exequēdis officijs Palatinorū, Capitaneorū, & aliorum officialiū terrestriū, etsi sciamus exp̄ssa sup̄ eo esse scripta statuta, p̄nalq; in illis cōtra negligētes sua officia esse adhibitā, nihilominus tamē nunciōrū & nobilitatis regni nostri petitioni satisfaciē, dabimus ea de re literas nostras ad p̄dictos Palatinos, Capitaneos, & alios dignitarios seu officiales, qbus ad satisfaciendū debito suo, illos cōmonebimus. Hac eadē ratiōe in petitiōe de golutis, & inquilinis, vagabūdis, facta cōstituimus & decernimus, vt statuta sup̄ hīs iādudū condita per Capitaneos locorum diligenter exequātur, ad quos etiā admonitiōis causa literas dari faciemus.

Consulentes cōmoditati rei cōmunis domesticę Regni nostri, quę plerūq; fugitiuorū colonorū seu cmetonū, vel filiorū eorū malicia ita defraudatur, vt multi subditorū nostrorū ex defectu laborātium et seruitorū in laboribus necessarijs negligantur, Statuimus & decernimus, vt quicūq; colonus seu cmetho, hortulanus, seu quis alius subditus, vel filij eorū, inuito vel iscio domino suo, in alienas prouincias fugiens, se trāserat, per Capitaneos & eorū vicesgerentes, deniq; per officiales ciuitatū & oppidorū, ad quę deuenierint capiātur, & capti operis seruilibus adhibeantur, tā diu donec dominus detenti vel detentorū, illos inuentos repetierit, repetēte enim domino subditū, & docente illū esse suū, Capitanei & eorū vicesgerētes, vel ciuitatū & oppidorū officiales, illū extradere debent irrecuse, receptis prius ab eo q subditū suū repetit duodecim grossis, quos illi pro opera & diligentia in detinendo subdito adhibita, soluendos fore decernimus.

In eo quod petatum est, vt diligentiores fiant Capitanei locorū in cohercendis malefactoribus Capitaneatū suorum, dabimus literas ad eos Capitaneos qui in exercendis hīs quę ad eorum officium & debitum spectant censerentur esse negligentiores.

Postulantibus terrarū nuncijs, vt libera sit nauigatio fluuiorū, in statutis dudū descriptorū, Respondendū ex vnanimi consensu Consiliariorū nostrorū duximus & respondimus decernimusq; p̄sentibus, vt fluuiorū in statutis dudū super hac re cōfectis, expressorū et aliorū nauigabiliū obstacula, aggeres, & alia queuis impedimenta, cuilibet sursum deorsumue nauiganti peruia reddantur, & vt contra secus facientes, p̄ locorū Capitaneos executio statutorū & pœnę in illis descriptę extendantur,

De Incendijs & alijs violentis inuasionibus domorum, & iniurijs, quę à Myschka, Berka & reliquis predonibus Slesitis, regno Polonię & eius incolis inferuntur. Censemus cū toto senatu ita prouidendū, vt ex publicis contributionibus certus numerus equitum in presidijs finiu terraru maioris Polonię & Slesię collocetur, qui huiusmodi violentias & iniurias hostiles inferri non permittant, teneriq; & seruari ipse numerus equitum debet hoc anno, alias q̄ diu fines & terre ille non pacificabuntur. Restituta autem, pace & pacificatione, sublatoq; metu à violentijs predonum predictorum numerus ille equitum seruari amplius non debet, & amplius declaratis Serenissimo Regi Ferdinando & Principibus, alijsq; ordinibus Slesię iniurijs & damnis subditorum nostrorum, nisi predones post declarationem factam a vi & iniurijs inferendis contineatur, & pro illatis damnis satisfaciant. Statutum quod de non inferendo bello vel inimicitijs non denunciandis cauet relaxabimus, & vt unicuiq; in posterum vim vi repellere liceat, permittemus.

Ad submouendam dubitationem, quę circa statutum de raptu virginum & sceminarum conditū oriri sepe solet. Visum est nobis & Senatui nostro per presens Decretum illius intelligentiā ita declarare. Vt cum raptor virginis, aut mulieris viduę, seu coniugate, ad presentiam nostram pro raptu commisso citatus fuerit, tum demū secundum antiquiora statuta iure esse conuictus in priuatione honoris intelligatur, cum virgo, aut mulier vidua, seu coniugata, in presentia nostra constituta, cōfessa sibi fuerit per raptorem citatum vim fuisse illatam, & se contra eius voluntatem & consensum per illum esse raptam, per hęc enim raptę virginis vel mulieris, viduę seu coniugate cōfessionem, raptor citatus ad extendendum contra se pœnam priuationis honoris censeatur esse sufficienter iure conuictus, alioquin rapta virgine vel muliere, vidua, seu cōiugata, per expressum in presentia nostra cōfitemente & affirmante se non per vim citati esse raptam, sed voluntate & consensu suo proprio vndecūq; abductam, citatus de rapta à pœna statuti honoris priuationis liber esse censeatur. Virgo vero, seu mulier, vidua, aut coniugata, ad quarū omnium personas & nomina, legem hanc diu statutam & obseruatam pertinere. & extendi volumus ac declaramus post factā huiusmodi voluntatis & consensus sui confessionem, bonis omnibus hereditarijs, & quibusuis alijs ipsam cōcernentibus bonis & rebus, doteq; sibi debita, perpetuis temporibus priuabuntur.

De cōmunitatibus, quas fraternitates seu Cechi in Ciuitatibus & oppidis vocant, nō visum est nobis cum Senatu quicq; immutare, nam & illę ipse communitates seu fraternitates post veterum statutorum decreta vbiq; reperiuntur hucusq; tollerata, & nouis ac antiquis literis, & priuilegijs roborata, & subditi cuiuscunq; status regni nostri ex eorū ordinationibus, priuilegijs rationalibus roboratis, nihil incommodi sustinere videntur, vbi

per Palatinos & alios officiales seu dignitarios illis abuti non permittuntur. Quamobrē cū Senatu vniuerso statuimus & decernimus, vt deinceps Palatini cum dignitarijs & officialibus, ad hanc prouinciā obeundā sibi adiunctis, prouideant iuxta tenorē & decreta statutorū de precio rerum venalium, & salario mechanicorū antea conditorū, ne quidpiam cōtra aequitatem & dispositionem statutorum tam in rebus venalibus ad cōmunem omnium vsum necessarijs, q̄ in operis, & precio artificum mechanicorum soluendo, admittatur.

Permoti iniurijs subditorum nostrorum, q̄bus se per nostros vectigaliū seu theloneorū præfectos eorumq̄ ministros affici propterea querebātur q̄ pro pecunia ratione thelonei seu vectigalis soluēda extra districtū & forū eorū cōpetens ad præsentia nostrā Regiā euocarētur. Prouidere volumus ne in posterū præfecti vectigaliū & theloneorū nostrorū aliquē subditorū nostrorū, status et conditionis cuiuscunq̄, camerā theloneo soluēdo institutā trāsire permittant, nisi soluto prius theloneo vel vectigali nobis & fisco nostro regio debito, vt hoc mō occasio subditos nostros ex eorū districtu & foro cōpetenti euocandi submoueatur, alioquin præfecto thelonei nostri solutionē ipsius thelonei cōtra mandatū & prohibitionē nostrā cuiquam deferenti, incumbat necessitas illud ipsum theloneum seu vectigal debitū in districtu & foro debitores competenti repetere. Nobis vero litispēdētia huiusmodi minime obstante, de prouentibus thelonei et vectigalium nostrorum integre respondere.

Suadente commodo ex libertate cōmerciorum inter regna et dominia vicina proueniente, Statuimus, vt tam subditi Regni nostri extra regnum educendi, q̄ aduenæ vndecunq̄ venientes apud nostros subditos in regno nostro emendi & euehendi omnis grani frumenta, liberam habeant facultatē, prohibitionē Capitaneorum vel officialium ciuitatum non obstante, nisi nostri regni vrgens vel euidens vtilitas aliud suaserit, quod arbitrio & moderationi nostrę volumus esse reseruatū.

Salis venditionem & eius administrationem recipimus ita nos procuratores esse, vt & sal precio solito vendatur, & copia illius quoad fieri poterit vbiq̄ habeatur.

Quamuis sciamus id quod cuiusq̄ iudicis officio in celebrādis iudicijs, terrestribus & castrensibus incūbat. Quia tamē præter officium multa committi per Iudices à subditis nostris edocti sumus. Mandabimus & mandamus omnibus in officijs Iudiciarijs cōstitutis, vt iuxta formā statutorū Iudicia tēporibus statutis celebrent, & ad alia tēpora inconsueta illa nō trāsponant, sub pœnis in statutis expressis, contra eos editis.

Vt cunq; persuasum sit nobis prouentus officialibus & dignitarijs quibusuis debitos, per eos quorum interest integre solui solere, quia tamen nonnulli in praesenti conuentu se in solutione prouentuum huiusmodi negligi sunt questi. Mandabimus prout & mandamus praesentibus vniuersis ad quos huiusmodi prouentuum solutio pertinet, vt illos quibus ipsi prouentus debentur, citra omnem moram extradantur.

Prospicientes, ne intra ordinem spiritualiu & seclarium subditoru regni nostri, propter indebitas ad fora in pertinentia euocatioes, odia & simultates excitetur. Decreuimus & decernimus praesentib9, vt domini Archiepiscopus & Episcopi, cum coetu & congregatione suorum ecclesiasticoru in Synodo per eos primo quoq; tempore celebranda, constituant, qua poena quisq; spiritualis pro re mere saeculari seclarem ad ius spirituale euocans sit puniendus. Et vt correctores Iuriu per nos designati ad primam diem Maij huc Cracouiam venturi se cernant, definiant, et conscribant diligenter que causae saeculares & foro saeculari pertinentes, quaeue spirituales vel spirituali annexae, & ad forum ecclesiasticum pertinentes censi debeant, vt nemo deinceps ignorantiam iudicij competentis pretendere, & poenam in se constitutam, declinare possit.

De conspiciendis per seniores Iudeoru pignoribus ad Iudaeos allatis, no videtur nobis factu conueniens, cum singuli pignorates id maxime vitare & cauere soleant, ne in egestate & indigentia sua cuiuspiam detegantur, sed mandabimus, vt res oppignoratae & dies earum oppignorationis, secundu veterem consuetudinem, in libros Iudeorum inscribantur.

Probatio vulnerum vel occisionis cuiuspiam, Volumus & decernimus, vt fiat iuxta statutum antiquum, quia illi non est derogatum.

De colloquijs generalibus celebrandis no est necessarium aliquid de nouo constituere, sed volumus & decernimus, vt statuta condita ponantur in debitam executionem.

Volumus & statuimus vt Capitanei praeter articulos in statuto expressos nullas alias causas iudicent, etiam si quis vel no comparuerit, vel ex ignorantia iurisdictionem Capitanei prorogauerit. Et si quid in contrarium fecerint, eorum iudicium nullitatis vicio cassetur.

Iudices terrestres ac castrenses, nec no Subiudices & notarij terrestres sint iurati iuxta tenorem statuti super eo conditi, & officia illis incubentia diligenter curent & p semetipsos expleat. Notarios tamen terrestres substitutos seu vicenotarios, q in scribendo duntaxat illos adiuuent habere pmittamus

hoc expresso, vt ipsimet presentia sua, tã iudicijs terrestribus, q̄ repositioni librorũ, & alijs iuridicis actibus intersint, & literas & rescripta quęcũq; ex actis terrestribus in pergameno & papyro extradẽda, manu sua subscribãt.

De appellatiõibus quę à sententijs seu decretis Iudiciorũ terrestriũ Castreũ & aliorũ quũuis ad terminos generales, tpe quãdragessimæ celebrãdos, vel ad cõuentũ generalẽ Regni nostri extũc in pximo celebrandũ fieri solẽt, declaramus & ita obseruari decernimus, vt tã appellãti q̄ eius parti aduersę liceat appellationẽ prosequi in Conuẽtionẽ generali, vel terminis generalibus quod illorũ post appellationem factam prius celebrari contigerit, iuxta normam in processu iudiciario noui statuti descriptam.

Quo solario pro literis vel notis Notarij terrestres vel Castreũ, contenti esse debeant Tametsi statuta, per nos & antecessores nostros cõdita, sufficiẽter declarẽt, q̄a tamen ipsi Notarij vltra modũ prescriptũ a dilatiõẽ termini vera infirmitate, vel cassatiõẽ inscriptionis cuiuspiã, solutionẽ memorialis p̄ quatuor grossos exigũt. Statuimus, vt Notarij terrestres & Castreũ in exigẽdo solario à notis literis, & alijs inscriptiõib⁹, modũ in statutis desup cõfectis expressum, cõseruẽt, à dilatione vero termini vera infirmitate vel cassatione inscriptionis, nõ nisi vnũ grossum ratiõẽ memorialis & pro nota exigant, sub pœnis in statutis prioribus contra eos sancitis.

Arestãdi Colonos seu Cmetones fugitiuos in terris Russię, cũ nũc certũ modũ reperire & constituere ante omniũ iurium regni nostri correctiõnẽ nequeamus. Volumus & censemus, vt interea q̄ iura omnia corrigentẽ & in vnã formulã reducẽtur, obseruetur modus arestãdi Cmetones iuxta formulam in statutis nouis seu iudiciario processu contentam.

Prescriptiões terrestres quę in alijs terris regni nostri currũt, etiã in terris nris Russię currere volumus & decernimus, p̄ter eas tras & districtus in quibus p̄pter hostilitatẽ iudicia celebrari & agi nõ possunt, nec celebrãtur,

Declaramus statutũ de limitibus bonorũ nõ secundũ literas & signa in eis descripta, sed secundũ senum testimonia faciẽdis. Statuimus intelligi debere, tum demũ literariã probatiõnẽ in limitatiõẽ bonorũ non procedere, cũ literę antiquatę, seu datę ac emanatę re oculis non subiecta, vel etiã in abusu redactę aut incertę cõperiẽtur. Cũ vero literę Cõmissariorũ nostrorum signa metalia & limitationũ bonorũ nostrorũ cũ bonis Nobiliũ vicinorũ in se continentes, per nos confirmare, vel literę sub titulo & sigillo succamerarij vel iudicij terrestris, limitationẽ bonorũ, vtriq; hereditariorũ subditorum nostrorum in se continentes, fuerint coram nobis, vel alias

vbilibet in iudicijs productę, Literis huiusmodi vbicq; fidē indubiā adhibē-
dam fore, & limitationem bonorum tam nostrorum q̄ hęreditariorum,
iuxta illarū continentiam firmam esse & validam decernimus.

Capitanei locorum de iniurijs, vicinis suis, vel Capitaneatus sui subditis il-
latis, respōdere tum demū coram nobis debebūt, quando ex officio suo ali-
qd admiserint, vel in tuēdis bonis nostris modū excesserint. Si quid vero
vi priuata cōmiserint, in foro cōpetenti respōdere cuiuslibet de se querenti tes-
nebuntur. Preterea si etiam Capitanei nostri, sub prætēxtu defensionis bo-
norū nostrorū grauē alicui subdito nostro in eius bonis iniuriā intulerint,
& posthac cum bona nostra à bonis subditorū nostrorū limitabūtur, de-
præhensum fuerit Capitaneū nostrū in his bonis quæ nō erant nostra, sed
eiusdē subditi nostri, iniuriā illi aut damnū intulisse, Is ipse Capitaneus dā-
num, à se Nobili & subdito nostro in eius bonis factum, refarcire teneat.

De inhibitionibus iuri cōmuni & statutis regni contrarijs nō concedendis
Mādabimus vt Cācellarię nostræ præsidētes in cōtrariū statutorū illas ne-
mini concedāt, & si cōcesserint, ille iuxta statutorū præscriptū nullę cēseant

Quærela subditorū nostrorū permoti, qui se plerūq; grauari sentiunt, cū p
bonorū Regaliū Tenutarios seu Capitaneos ad exhibendū literas sup bo-
na eorū hęreditaria, & ppetua illorū proprietate, eo prætēxtu tanq̄ ipsa bo-
na Regalia essent adiguntur. Decernimus & statuimus, vt nemo Capitane-
orū seu Tenutariorū nostrorum aliquē ex Regni nostri incolis ad exhibē-
dū huiusmodi literas cōpellere audeat, nisi ipse Capitaneus vel Tenutarius
indiciū certū vel literas quascūq; habuerit, ex qbus bona illa esse nostra Re-
galia & non hęreditaria conijcere possit. In tali enim casu possessor bono-
rū illorum super sua proprietate literas exhibere & producere teneatur.

De militibus Mercenarijs vel Nobilitate ad seruitiū bellicū proficiscē, vel
inde redeuntib. Capitaneus exercituū Regni & Palatini seu castellani lo-
corū puidere debent, ne subditis spiritaliū vel sæculariū aliqua damna vel
violentię, contra Regni cōstitutiōes & priuilegia inferantur, & si illatę fue-
rint, vt ad solutionē & satisfactionē damnorū & iniuriarū illas inferentes
cōpellant. Cū vero milites mercenarij ex seruitio, vel nobiles Regni nostri
ab expeditione bellica domū reuertētes, aut reuersi, aut in proprijs agētes,
alicui damna intulerint, nos iusticiā cuiuslibet de illis facere & administrare
pollicemur, vel officiales nostri administrabunt iuxta statutū Regni nostri

Celebratiōes conuentuū particulariū terrę Lublineñ ex oppido Vrzadow
in ciuitatē Lublineñ transferri mandabimus, iuxta petitionē Nobilitatis
per nuntios terrestres factam.

Cōmissiones in alijs casibus q̄ qui in dispositione statuti continentur dari prohibebimus, & datas nullas esse volumus & decernimus. Cōmissiones tamē ad diuidenda bona tam inter fratres germanos, q̄ inter alios quosuis cōsanguineos, qui ad aliqua bona par ius succedendi habent, quantūcūq; remotos, locum habere debere declaramus & decernimus. Quod si quis repellere volens eum qui diuisionē bonorū petit, negat eum esse consanguineum, vel ius succedendi ad bona huiusmodi habere in tali causa cōmissarij à diuidendis bonis supersedere, & decisionē cōtrouersiaē super propinquitate & successione ad iudicium terrestre remittere debebunt.

Nūc̄ijs omniū terrarū Regni instāter petentibus, Senatoribusq; vniuersis assentiētibus, decernendū duximus & decernimus, vt statutū cōtra homicidas, Annō dñi, M. D. X. in conuentu Pyotrkouieñ editū, ad triū annorum decursum innouet̄, progetur, & ī executionē ponatur. Cuius vigore & iuxta illius dispositionē omnia homicidia à die inchoati p̄ntis cōuentus commissa, & postea ad triū annorū decursum cōmittenda puniri debebūt.

Libram & pondus quā adæquari Nūcij terrę Ploceñ Librę & pōderi ciuitatis nostre poznanieñ, petierunt Palatinus, Capitaneus, Castellani, ceteriq; officiales terrę Ploceñ, aduocatis ad se ciuibus & mercatoribus ciuitatis nostrę Ploceñ, illam mandato nostrę cōæquabunt æquivalentem constituent, prout eis melius & commodius videbitur.

Perspicientes magnā Reipublicæ afferre iacturā cōsuetudinē in exigēdis & cōportandis regni laudatis cōtributionibus, in Regno nostro seruari dudum solitā, decernēdū duximus & statuimus presentibus, vt in exigēdis & cōportandis publicis cōtributionibus talis vbiq; modus & ordo seruetur vt Coloni q̄ ad publicā contributionē soluendā obligātur ad dominū vel ad possessore villę quā incolūt ordinis & cōditionis cuiuscūq; iuxta Conuentus decretū & constitutionē factā, & in vniuersalibus literis descriptā cōportare teneātur, quā vicissim p̄ceptā domini seu possessoris colonorū vel quorūuis, ad soluendā publicā cōtributionē obligatorū, ad exactores publicos in terris designatos & cōstitutos integre, & secundū conuētus ordinationē p̄ se vel procuratores suos deferēt, cū ea simul pecunię parte quā illi ipsi domini ex decreto conuētus in publicā cōtributionē soluere debēt de qua re tā exactor illi domino, vel procuratori domini pecuniā afferēt, q̄ domin⁹ seu procurator exactori pecuniā cōtributionū publicarū capiētū mutuo literarū obsignatā & subscriptā recognitionē sibi dabunt.

Pluries per subditos nostros sollicitati, vt literas reponi mādarem⁹ super cēsus p̄petuos domorū, & in defectu literarū, liberā cuiq; potestatē faceremus eadē census p̄petuos domorū seu quorūuis locorū, solo annexos, vni

ab altero redimēdi, & ppetuitatē oneris pro certa summa pecuniaria inter se instar reemptionū censuū cōmutandī. Et si nunq̄ assentiri eiusmodi petitioni voluimus, quia tamen hucusq; ab ea ipsa petitiōe, quę multā in se cōtinere videtur iniquitatē, illos cū nō vulgari molestia & fastidio nostro nō cessare experimur. Prouidere volētes, ne in posterū vni ab altero, quod nō esset æquū repetendi, vel literarū super census ppetuos, diuturnitate tēporis abolitarū, productionē expostulandi, occasio dissidiorū inter subditos nostros subministratrix prebeat. Statuimus & decernimus, cū assensu et cōsilio totius Senatus nostri, vt nemini subditorū nostrorū cuiuscunq; status & cōditionis existē, liceat quomodocūq; directe vel indirecte reemptionē ppetuorū & solo annexorū censuū deinceps verbo vel facto, cōtra veterē illorū possessionē, attētare, quos perpetuos esse sola veteri & diuturna possessione, & circa venditiones vel inscriptiones honorum ad census perpetuos soluendos obligatorum, mentione, probari decernimus.

Cum magna pars reipublicę nostrę in ordine & statu ecclesiastico cōsistat Ecclesięq; regni nostri per antecessores nostros sint ampliter dotata, cū ad diuinū cultum peragendū & manu tenendū, tū etiam ad viros literatos & idoneos, maxime vero nobiles promouē, quorū pauci essēt, qbus vel animus, vel facultas esset literis incumbendi, & alia studia per quę emergitur sectandi, nisi bona ecclesiastica, non solū facultatē viuendi, sed etiam opem multis se & suos subleuandi pręstarent. Vnde Nobilitas regni, quę potissima est istius regni portio & cuius domus ac familię ptim multiplicatiōe prolis, partim etiā alijs euentibus, plerunq; extenuari solent, pręcipuū habeat status & prouectiōis suę subsidiū & adiumentū, ac cū successu tēporis multi indigni homines varijs artibus, & pręsertim Romanis impetratiōibus sese ad sacerdotia ingererent, ac illa viris dignis & idoneis pręriperent Antecessores nostri multiplicibus statutis & pœnis grauissimis collatiōes suas & subditorū suorū sæculariū asseruerunt, ac defenderunt. Sed cū ordinarij regni nostri qui & magis debent statui, & dignitati ecclesiasticę prospicere & melius sciunt personas spirituales ecclesię & reipublicę idoneas eligere hactenus nihil haberent pręsidij, quo suas collationes & puiisiones saltem in mensibus suis, aduersus Romanas multiplices reseruatiōes, accessus, regressus, & coadiutorias, aliāq; id genus impedimenta, tueri possent, vnde lites & expilationes multarū facultatū sequebantur, nos inter alia quę toto tēpore fœlicis nostri regiminis in regno nostro reficienda curauimus hanc indignitatē & incōmodū, tam ecclesiarū q̄ etiam reipublicę considerantes, magna cura egimus, apud sanctissimū in Christo patrē & dominū Clementē septimū, sanctę Romanę ac vniuersalis ecclesię summū pōtificē vt quod nōnulla alia regna & prouincię pro magno & singulari haberent priuilegio, ac diligentissime obseruaret, eius sanctitas nobis & regno nostro cū de sede Apostolica, tū etiā de vniuersa re Christiana bene merito cōcedere dignaretur, vt videlicet ordinarij, alięq; personę ecclesiasticę ppetuis

deinceps tēporibus haberent vicissim cū ipsa sede apostolica sex menses liberos, in quibus nullę qualescunq; reseruaciones, nulli accessus, regressus, ac coadiutorię, alięq; impedimēta ex curia Romana prouisionibus & collationibus ipsorū obsistere aut illas impedire possēt, Quod tandē priuilegiū de gratia ad benignitatē eius sanctitatis obtinuimus, amplissimis qdē ratiōibus & clausulis roboratū, prout ex tenore ipsius clarius cōstat. Cuius exēpla ad omnes ecclesias Cathedralēs sub sigillo nostro transmisiimus. Quia tamē tanta est multorū hominū temeritas, tanta rerū & temporū varietas vt nihil tam solidi obtineri ac ordinari possit, quod non turbetur & labe fiat in posterū, nisi vi & potestate principū defendatur ac manu teneatur. De consilio ac cōsensu vnanimi omnīū, tam consiliariorū q̄ etiā Nuntiorū terrarū regni nostri statuimus & decernimus ppetuis temporibus obseruandū, q̄ quicunq; aduersus priuilegium hoc tā salubre, & tanto labore & cura nostra obtentū, per derogationes aut quoscunq; alios modos quidq; cōmittere per se vel summissas personas, aut quouis alio pretextu seu colore, illud in parte vel in toto infringendo, vel contra id aliquid tentando ausu temerario presumerit, vel contra illius dispositionē beneficium quodcūq; ecclesiasticū acceptauerit, vel acceptare voluerit, vel pensionē quācunq; seu aliquā quotam ex prouentibus beneficij per eū impetrati vel acceptati sibi reseruati procurauerit, cuiuscunq; status, conditionis, p̄eminentię & dignitatis existat, p̄cenis in statutis Serenissimorū Ioannis Alberti & Alexandri Regum Polonię germanorū & antecessorū nostrorū contra plebeos ad maiores ecclesias se recipi procurātes, & alios imperatores Cortizanos editis, subiaceat ipso facto, quippe omnīū bonorum suorū communiū & priuatorū, mobiliū et immobiliū s̄cularium, erario seu fisco et mēsa nostrę applicandorū priuatiōe, ecclesiasticorū vero arresto & confiscatione, & p̄terea extra Regnū & dominia nostra bannitiōe & proscriptiōe puniendus. Ne autē extraneis personis contra hoc priuilegiū aliquid tenēdi via pateat, si per summissas personas illi cōtraueniendi facultas relinquere tur, Statuimus & decernimus simili p̄cne & mulctę subiacere et eo modo esse puniendos omnes et singulos Prælatos sp̄uales & s̄culares ac Capitula, tā s̄cularia, q̄ regularia, Abbates, Canonicos, Plebanos, Vicarios, Beneficiatos, & quoscūq; p̄sbyteros omnīū ecclesiarū, necnon Tabelliones, Notarios & qualuis alias ecclesiasticas & s̄culares p̄sonas regni nostri, & alias vndeūq; existentes, quę literas quascūq; suprascripto priuilegio regni nostri, et p̄senti ordinatiōi cōtrarias p̄sonis externis siue indigenis & alijs quibuscūq; cuiuscūq; gradus, cōditiōis, et p̄eminentię existāt, et quacūq; p̄fulgeant dignitate, alias prouisiones in vita reseruatiōes cum pensionibus, surrogationes & quoscunq; processus desuper obtentos in se continentes, portarent, afferrent, & publicarent, palam & priuatim, aut qui pensiones huiusmodi celando illas, summarie pecunys redimerent, & cessiōes vel resignationes beneficiorum seu iuris ad illa competentis susciperent, vel acce-

ptarent, seu qui monitorio censuras, procurationes, & sequestra, cōtra pro
uisos ordinariorum ob non solutionem pensionū, etiā motu proprio res
seruatarū, in se continē. quacunq; auctoritate data, admitterent aut exequi
presumerent, vel talium fautores, executores, procuratores, aut quosuis sol
licitatores promouere, fouere, vel illis auxilium opemūc aliquam prābere
auderent, vel talia fieri promouerent, pœnis supra expressis subiaceant, per
locorum Capitaneos sub pœnis in negligentes Capitaneos conditis, cōtra
tales temerarios transgressores irremissibiliter exequē. Datū in Couen
tione generali Cracouiensi, die sanctorum Fabiani & Sebastiani martyrū.
Anno domini. M. D. XXXII. Regni nostri Anno XXV.

Ad mandatum Regie
Maiestatis proprium.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Biblioteka Jagiellońska



stdr0042480



